

P. 4. 55. num. 38.

1774, 31.

27
DISSERTATIO
DE
**INEPTIS MORIENTIVM
VOLVNTATIBVS**
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
P R A E S I D E
**IOSIA LVDOVICO ERNESTO
P V T T M A N N O**

I. V. D. TIT. DE V. S. ET R. I. ANTECESSOR. ORDINAR
NEC NON COLLEG. ICTOR. ASSESSORE
A. D. IV. OCTOBRIS MDCCCLXAV

H. L. Q. C

AD DISCEPTANDVM PROPOSITA

A

SIGISMVNDO POLYCARPO GVTBIR
PORTA - THVRINGO.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIA.



V I R O
SVMME REVERENDO ATQVE ILLVSTRI
GEORGIO FRIDERICO
A BERLEPSCH
DYNASTAE IN HENNIGSLEBEN ET LEISLAV
SERENISS. SAXONIAE ELECTORIS
IN CVRIA DITIONVM EPISCOPALIVM NVMBVRGENS
REGENDARVM, QVAE CIZAE EST,
C O N S I L I A R I O ,
P R O V I N C I A L I S S C H O L A E P O R T E N S I S
I N S P E C T O R I
E C C L E S I A E C A T H E D R A L . N V M B V R G
C A P I T V L A R I
E T C .

M A E C E N A T I S V M M A
O B S E R V A N T I A D E V E N E R A N D O
S A C R V M

GEORGII TRIDELLO
A. SIBERIUS

DIVISATUR HISTORIAE
IN CAVITATIONUM ET STRONTIUM NUMMADIBUS
SCHEIDERIUM OVAE CISTERNE ETC.
CONTRARIO
IMAGINIS
ACCEPTE
CVRVAT

M A E C I N A T I S M U
O R T R A N S I T A T I O N E M A D D O

VIR SVMME REVERENDE
ATQVE ILLVSTRIS!

Nulla caussa suberat, quare **NOMINI**
TVO hunc libellum academicum inscribere
aliquo modo mibi esset dubitandum. Bene-
volentiae enim ac fauoris erga me **TVI**
documenta, quorum maxime insigne illud fuit, cum mihi
e schola illustri Portensi abitum in Academiam paranti
tantum honoris habere dignatus es, vt actui sollemni, quem
vocant, valedictorio interesses, meque votis optimis ac sin-
cerissimis prosequereris, ea inquam tanta sunt, vt ve-
rear, ne apud illos, quibus nota sunt, ingrati animi sus-
pcionem moueam, nisi hanc opportunitatem summae in
TE pietatis acerrimique gratitudinis sensus publice
declarandi quidissime arripiam. Accipe igitur serena
fronte hunc libellum, tamquam nuncium ac testem gra-
ti animi summaeque ac humillimae obseruantiae et vene-
rationis, qua voluntatem et studium erga me **TVVM**
pro-

prosequor, et patere, ut **TVO** munitus nomine fir-
mo, forti, ac constanti animo in arenam publicam de-
scendam. Ceterum nihil restat, nisi ut **TE**, quan-
tum fieri potest, rogem atque obtester, ut me **TVO**
fauori ac patrocinio, quod in parte felicitatis meae
praecipua pono, commendatissimum habere velis, **TIBI**
que certissime persuadeas, vota pro salute **TVA** et
GENTIS ILLVSTRIS TVAE nuncupare,
dum vitali hac aura fruar, numquam me esse intermis-
surum, qui perpetuo sum futurus

N O M I N I T V O

Scripsi Lipsiae
a. d. 1. Octobr. MDCCCLXXIV.

additissimus cliens
SIGISMUNDVS POLYCARPVVS GVTBIR.



Multos homines non vigentes solum beneque valentes ridicularios videri velite atque ingeniosos, sed morientes etiam sedulo, ne veterem suam deposituisse consuetudinem, sed ut ridendo potius iocandoque in cymbam quasi Charontis transiliisse videantur, operam dare, cum rerum gestarum memoria, tum quotidiana fere testatur experientia. Sic HADRIANVS quondam Imperator, et si iam alterum pedem in tumulo habebat, adhuc tamen locum sibi esse ioci dicundi ratus referente SPARTIANO in vita eius Cap. 25. hos versus fecisse dicitur:

*Animula vagula, blandula,
Holpes, comesque corporis,
Quae nunc abibis in loca,
Pallidula, rigida, nudula;
Nec, ut soles, dabis iotos?*

Haud minus ridicule celeberrimus quondam inter Gallos poeta, SCARONIVS, cum appropinquate morte singulu mortifero laboraret, neque tum risum mouendi occasionem praetermittens, *te ego!* inquiebat, *quam bellam, si conualuero, in te* (singultum scilicet)



satyram scribam.^{a)} Iam cum, ut verissime ait PLINIVS L. VIII.
Ep. 18. hominum testamenta morum sint specula, quid mirum, si
 haud raro vltimis etiam voluntatibus ineptiae stultiaeque testato-
 rum signa evidentissima impressa videamus? Evidem legi, quod
 scribit IMP. CONSTANTINVS in l. 1. C. de SS. Eccles. Nihil
 est, quod magis hominibus debeatur, quam ut supremae voluntatis,
 postquam iam aliud velle non possunt, liber sit stylus, et licitum, quod
 iterum non redit, arbitrium; QVINTILIANVS item Declam. 308.
 Et in more civitatis, et in legibus positum est, ut, quoties fieri potue-
 rit, defunctorum testamento stetur: idque non mediocri ratione. Neque
 enim aliud videtur solatum mortis, quam voluntas ultra mortem: alio-
 qui potest graue videri etiam ipsum patrimonium, si non integrum le-
 gem habet: et cum omne ius nobis in id permittatur viuentibus
 aufe-
 ratur morientibus. Repte tameniam monuit MARCIANVS in l. 14.
D. de cond. inst. Conditiones contra edita Imperatorum, aut contra
leges, aut quae legis vicem obtinent, scriptae, vel quae contra bonos
*mores, vel derisoriae sunt, aut huiusmodi, quas praetores improbaue-
 runt, pro non scriptis habentur, et perinde, ac si conditio hereditati si-
 ue legato adiecta non esset, capitur hereditas legatumue, idemque in*
*l. 113. §. 5. D. de Legat. I. Ineptas voluntates defunctorum circa se-
 pulturam, (veuti uestes, aut si qua alia superuacua, ut in funis im-
 pendantur,) non valere, Papinianus libro 3. Responorum scribit.*
 Quae cum ita sint, operae premium est, non modo scire, quae vere
 ineptae ridiculaeque morientium sint voluntates, sed nosse etiam,
 quod circa illas obtinet, ius, ne aut nimis feueri indices ad viuum
 omnium resecemus, immemores, suum cuique attributum esse er-
 rorem, neque, vt Veronensis ait Poeta Carm. XX. quemquam faci-
 le inueniri, quem non in aliqua re videre Suffenum possis, aut
 cum HEINECCIO in Elen. I. C. sec. ord. Pand. P. V §. 67. aliis-
 que, semper ineptias illas testamentis detrahi, nec umquam supre-
 ma

a) In quem ideo nobilis quidam poeta (LA FONTAINE) hoc epi-
 grammate lugit:

Scaron sentant approuper son trépas

Dit à la Parque: attendez, je n'ai pas

Encore fait de tout point ma satire:

Ah! dit Cloton, vous la ferez là-bas,

Marchons, marchons, il n'est pas temps de rire;



ma infirmare morientium iudicia, existimemus. Sane non quaelibet statim stultitia prodit insaniam, et si ita olim existimabant Stoici teste **HORATIO Sat. II. 3.**

*Quem mala stultitia, et quaecunque inscitia veri
Caecum agit, insanum Chrysippi porticus et grex
Autumat.*

Quanto rectius **SENECA** *Controv. L. V.* *Multa*, inquit, donanda ingenii puto: sed donanda vita, non portenta sunt. Si qua tamen tolerabiliter dicta sunt, non subtraham. Multum profecto leges testatoribus indulgent, neque, nisi fortissima adsint dementiae indicia, ultimas defunctorum voluntates in discrimen adduci patiuntur, vti praeter alios testatur **ALFENVS** in *l. 45. D. de her. inf.* Si, inquiens, *Maeuia mater mea et Fulvia filia mea viuent, tum mihi Lucius Titius heres eft.* *Seruius respondit, si testator filiam numquam habuerit, mater autem superuixifset, tamen Titium heredem fore: quia id, quod impossibile in testamento scriptum eft, nullam vim haberet.* Interdum etiam testamentorum verbis, eti initio inepti nonnihil aut ridiculi continere videntur, tamen, si animus testatoris, aut occasio, quae illum, vt ita scriberet, impulit, iusta lance ponderetur, nihil plane absurdii inesse deprehendemus. Sic haud male quidam nuper patruus suo ex fratre nepoti, qui ipsi antea ex duodecim candelabris argenteis vinum subtraxerat, reliqua vndecim legans his vtebatur verbis: *Ipsé optime sicut, quare sibi legata haud sint duodecim.* Deinde multas, quae uobis hodie ridiculae videntur, conditiones a Romanis non ideo, quod dulce iis eft despere, aut nugas agere eo tempore, quo de suprema ac decretoria vitae hora cogitabant, sed quod huiusmodi artibus ad evitandas scisci calumnias opus sibi eft existimarent, inuentas esse, iam adnotauit **HEINRICH ECCIVS** in *Comm. ad L. Iul. et Pap. Popp. L. III. Cap. 8.* Ipsa illa tam frequens in libris iuris Romani conditio: *Si in Capitolium adscenderit, tantum abeft, vt ridiculi aliiquid contineat, vt potius laudabili, ni fallor, consilio a testatoribus olim Romanis adiiceretur.* Qui, inquis, ita? Dicam, quid mihi ea de re videatur, breuiter. Sribit **IVLIANVS** in *l. 29. D. de C. et D.* *Haec conditio, si in Capitolium adscenderit, sic recipienda eft, si, cum pri-* *mum potuerit Capitolium adscendere. Quid? putamusne,* **IVLIA-**



NVM adeo ineptum fuisse, vt conditioni ineptae tam cito parentum esse existimaret? Nequaquam. Scilicet inuenio, Romanos sacerorum maxime faciendorum causa in Capitolium adscendere consueuisse. Audi TACITVM Ann. XIV. 6r. Exin laeti Capitolium scandunt, deosque tandem venerantur; HORATIVM porro Carm. III. 30.

*Non omnis moriar; multaque pars mei
Vitabit Libitinam. usq[ue] ego postera
Crescam laude recens, dum Capitolium
Scandet cum tacita virgine pontifex.*

nec non LAMPRIDIUM in vita ALEXANDRI SEVERI Cap. 43. Capitolium septimo die, cum in urbe esset, adscendit, templo frequentauit, itemque Cap. 57. D[omi]ni senatu Capitolium adscendit, atque inde re diuina facta, et tunica Persicis in templo locatis, conditionem huiusmodi habuit. Puto igitur, testatores, conditione illa in Capitolium si adscenderit vsos, monere voluisse heredes legatariosue, ne sint parci Deorum cultores ac infrequentes, sed sacris potius in Capitolio iusto tempore faciendis operam dent, qua de re nihil dixisse miror MATT. PROVERIVM DE NIEDEK, qui de populorum veterum ac recentiorum adorationibus integro libro (Amstelaedam. 1713.) exposuit. Sed haec obiter.^{b)} Saepius autem morum etiam testatoris, vitaque, qua vius est, consuetudinis in aestimanda ultima eius voluntate ratio habenda est. Adeo scilicet verum est, quod TERENTIVS ait Adelph. V. 3. Duo cum idem faciunt, rel. Sic indulgendum utique fuit PHILIPPO STROZ-
zio, Florentino, quod, utpote libertatis patriae studiosissimus, ante obitum liberis mandarit, vt, si forte Florentiae sepeliretur, ossa sua inde anferrent, Venetasque transportarent, quo, cum in libera ciuitate mori ipsi hand liceret, mortui saltē cinères extra vi-

ctoris

b) Aliud conditionis, cuius ratio in religione, qua vtebantur Romani, latet, exemplum legimus apud MODESTINVM in l. 44. D. de man. test. Maeuia decedens seruis suis, nomine Sacco, et Etychiae et Hirenne sub conditione libertatem reliquit his verbis: Saccys seruus meus, Etychiae et Hirene ancillae meae, omnes sub hac conditione liberi sunt, vt monumento meo alternis mensibus lucernam accendant, et solennitate mortis peraguant, rel.

storis (COSMI MEDICEI) potestatem requiescerent, et si fortasse
 haud deerunt, qui dicant: Siccine, STROZZI, id cineres aut ma-
 nes credebas curare sepultos? Neque facile hoc retulerim testa-
 mentum aut legatum ambitiosum, de quo singulari nuper pro-
 grammatae Cel. EICHMANNVM (Duisb. 1773.) exposuisse au-
 dio. Eiusmodi legatum fuit illud RVSCI CAEPIONIS, qui
 testamento cauerat, ut heres suus quotannis ingredienti-
 bus Curiam Senatoribus certam summam viritim praestaret,
 quodque, tamquam ridiculae plenum ambitionis, irritum fecit
 IMP. DOMITIANVS, vt nafrat SVETONIVS in vit. eius Cap.
IX. Etsi enim homines illi, qui vnice fastu suo subrufico indul-
 gent, suauem saepe cordatoribus ridendi materiam praebent, fa-
 cile tamen eorum errori ignoscimus, modo ambitioni sua consu-
 lentes, et veluti aliud agentes, simul reipublicae profint, nihilque,
 quod communi noceat utilitat, iubent. Haud magis hue perti-
 nent illi, qui nimis fortasse modesti testamento cauent, ne scripta
 sua post mortem ipsorum in vulgus edantur, sed ut aut flammis
 aut alia ratione absumentur deleanturque. Eo terendit vltima VIR-
 GILII voluntas, qui cum morbo oppressus mortem aduentare vi-
 deret, teste GELLIUS XVII. 10. petiit orauitque a suis amicissimis
 impense, vt Aeneida, quam nondum satis elimauisset, abolerent.
 Quominus autem exitum haec haberet voluntas prouida AVG-
 STI cura obstitit, vt praeter alios testatur illud c. SYLPHITIA
 APOLLINARIS epigramma:

*Iuss erat haec rapidis aboleri carmina flammis
 Virgilius, Phrygium quae cecinere ducem.
 Tucca vetat, Variusque simul, tu maxime Caesar
 Non finis, et Latiae consulis historiae.
 In felix alio cecidit prope Pergamon igni,
 Et pene est alio Troia cremata rogo.*

Simile fere exemplum praebuit OCT. FERRARIUS, de quo sic
 IAC. FACCIO LATVS in Ep. ad 10. FABRICIVM: Confli-
 um hoc nostrum probauit in primis ornatussimus vir Iulius Ferrarius,
 Octavi filius, qui multa iam diu patris sui d^evotissimae p^{ro}p^{ri}a^ta^ra edidisset, tibique inscriptisset, nisi testamenti religione prohibe-
 retur.

Sed



Sed age iam exempla quaedam ultimarum voluntatum vere ineptarum ridicularumque proferamus. Primum esto illud, quod **MODESTINVS** refert in *l. 27. pr. D.* de cond. inf. his verbis: *Quidam in suo testamento heredem scripsit sub tali conditione, si reliquias eius in mare abiiciat. Quaerebatur, cum heres institutus conditioni non parvisset, an expellendus est ab hereditate?* **Modestinus** respondit: *laudandus est magis, quam accusandus heres, qui reliquias testatoris non in mare secundum ipsius voluntatem abiicit, sed memoria humanae conditionis sepulturae tradidit.* Sed hoc prius inspicendum est, ne homo, qui tales conditionem posuit, neque compos mentis esset. *Igitur si perspicuis rationibus haec suspicio amoueri potest, nullo modo legitimus heres de hereditate controversiam facit scripto heredi.*^{c)} Et ne fabulam audire tibi videaris, lege quaeso **O V I D I U M Faſt. V. 653.**

*Saepe tamen patriae dulci tanguntur amore,
Atque aliquis moriens hoc breve mandat opus:
Mittite me Tyberi: Tyberinis vestitus ut undis
Litus ad Inachium puluis incanis eam.
Dispicet heredi mandati cura sepulcri:
Mortuus Aufonia conditur hospes humo.
Scirpea pro domino Tyberi iactatur imago,
Ut repetat Graias per freta longi domos.*

Sed quaeris fortasse, quare, cum philosophorum haud paucis facilis admodum iactura sepulcri visa fuerit, tam seuere de conditione illa si reliquias eius in mare abiiciat **MODESTINVS** iudicaverit. Ratio autem sine dubio querenda est in cura sepulturae, cui, ne manes oberrarent atque vagarentur miseri, vnicce studebant veteres, qua de re praeter alias conf. *p. AERO DIVS Decretor. II. 9. et 39.* nec non *MARQV. FREHERVS Parerg. L. I. t. 23.* in *Ott. Th. T. I. p. 891.* Videbatur igitur testator orare potius debuisse cum illo apud **HORATIVM Od. I. 28.**

*At tu, nauta, vagae ne parce malignus arenae
Offibus et capiti inhumato
Particulam dare,* — — —

^{quam}
c) De lectione huius legis vid. **IO. CANNEGIETERVS ad Vlp. Tit. II. p. 21.**

* * *

quam abiectionem dissipationemque cinerum suorum testamento praecipere.

Aliam ineptae voluntatis speciem memorat **SCAEVOLA** in l. 40. §. 2. **D. de aur. arg.** Mulier decedens ornamenta legaverat ita: Seic amicæ meæ ornamenta uniuersa dari volo; eodem testamento ita scripserat: funerari me arbitrio viri mei volo, et in serre mihi, quaecunque sepulturae meæ causa feram ex ornamentiis, linea duas ex margaritis, et viriolas ex smaragdis; sed neque heredes, neque maritus, cum humi corpus daret, ea ornamenta, quæ corpori iussus erat adiici, dederunt. Quæstum est, utrum ad eam, cui ornamenta uniuersa reliquerat, pertineant, an ad heredes? Respondit, non ad heredes, sed ad legatariam pertinere. Profecto ridiculæ mulieris illius voluntati non modo naturalis, sed iuris etiam ratio obstat, teste **VLPIANO** in l. 14. §. 5. **D. de religios.** Non autem oportet, inquiete, ornamenta cum corporibus condi: nee quid aliud huiusmodi, quod homines simpliciores faciunt, nec non **IM. ALEXANDRO** in l. 5. **C. de his,** quibus ut indign. vbi ita rescribit Tyranno: Non oportet ut indignis heredibus successiones auferri praetextu, quod in sepultura supremis iudiciis, vel voluntatibus defunctorum obtemperatum non fuisset.

Pertinet hoc etiam quod scribit **VLPIANVS** in l. 71. pr. **D. de Leg. I.** Si domus alicui simpliciter sit legata, neque adiectum, quæ domus: cogentur heredes, quam vellent, ^{a)} domum ex his, quas testator habebat, legatario dare: quod si nullas aedes reliquerit, magis derisorium est, quam utile legatum. (qua de specie vid. **PET. DE GREVE** Exercitat. ad Pand. pag. 415.) **PAVLVS** item in l. 65. **D. ad L. Faſtid.** Si quinquaginta aurei legati sint, si quinquaginta dedisset, dicendum inutile legatum et magis ridiculum esse, nec non **MAECIANVS** in l. 86. **D. de her. inst.** Deinde, quod et si quacunque posita conditione deberet filius sub contraria conditione exheredari, in proposito ne possibilis quidem reperiri posset; certe si verbis exprimeretur, inepta fieret: huic enim conditioni, Si volet, heres esto, quæ alia verba contraria concipi possunt, quam haec: Si nolle

a) Ita enim haec legem, quidquid alii dicant, legendam censemus.
Vid. praeter alios **IAC. VOORDA** Int. et Emend. I. C. II. 12.

nollet heres esse, exheres esto? quod quam sit ridiculum, nulli non patet. Turpiter etiam se dedit, si vera sunt, quae de eo narrantur, **LUDOVICVS CORTVSIVS**, Patauinus, Seculi XIV. ICtus celeberrimus, de quo ita **GVID. PANCIROLVS** de Clar. Leg. Interpr. L. II. c. 79. Demum testamento, quod praeter aliorum consuetudinem concidit, vulgo risum exhibuit. Enni enim exemplo, praecedentibus quinquaginta musicis, et tibicinibus, ac citharais 15. quibus singulis dimidium aureum legauit, funeralis sui laetam pompa celebrari voluit. Splendidum etiam eo die coniuivium parari, et uxorem vestibus rubeis indui iussit. Duodecim quoque virgines versicoloribus ornatas, feretrum subire, ac modulata voce, constituto dotis praemio, canere voluit. Heredem, nisi haec seruari curauisset, bonis priuauit. Voluntas in controversiam reuocata cum pro variis consultorum opinionibus a quibusdam damnaretur, ab aliis recipetur, ex facio tandem obseruata fuit. Mox tamen idem addit **PANCIROLVS**: Ego id testamentum legi, in quo centum tantum musicos funus praecedere iussit, (quod nobis ad coelum migrantibus fit laetandum,) et nigris vestibus famulos indui. Nec alia, quae narrant doctores, in eo continentur.^{e)} Ridiculi exemplum testamenti occurrit etiam apud **HORATIVM Sat. II. 3.**

*Heredes Staberi summam incidere sepulcro;
Ni sic fecissent, gladiatorium dare centum
Dannati populo paria, atque epulum, arbitrio Arri, et
Frumenti quantum metit Africa. Sive ego prae,
Seu recte hoc volui, ne sis patruus mihi.*

Sic quoque **ANAXAGORAS**, cum Lampsaci moferetur, rogantibus ciuitatis Principibus, numquid fieri vellit? teste **LAERTIO** II. 14. nihil iussit, nisi hoc, ut scilicet pueri quotannis, quo mente mortuus esset, ludendi copiam haberent.

Heredes porro institutos fuisse, ea lege grauatos, vt critici sierent, tradit **IO. STECKIVS** in **OTTON.** Th. T. I. p. 506. **CHRISTOPH. LVD. CRELLIVS** autem in **Obs. de probat. Janae**

e) Noli autem mirari, tales ineptias a ICto profectas esse, quandoquidem, vt iam **STRYCKIVS** de cautelis testamentorum. animaduertit, experientia testis est, peritissimos etiam iurisconsultos ridiculosissima conscripsisse testamenta.

nae mentis, Vitemberg. 1737. §. 8. Britanni cuiusdam meminit, qui inter alia lepida testamento cauit, ne reliquiae suaee sepelirentur, sed detractis carnibus crates ossa, medici σκελετὸν appellant, in usum et disciplinam pullorum Hippocratis astenuaretur. Legi quondam, nescio ubi, fuisse militem, qui heredem suum ea lege grauaret, ut ipsius mortui cute tympanum obduci curaret. Nec minus memini causarum cuiusdam patroni, qui, cum diu fuisset ancillariolus, moriens ancillam suam ea conditione heredem scripsit, ut nullam, quas ipse habuerat, litium transactione componeret, sed ius suum omni, qua fieri posset ratione, strenue persequeretur; nuper autem ex actis, quae vocant, iudicialibus perspexi, nobilem quendam, legatis mille imperialibus, hanc adiecissem conditionem, ut usurae huius sortis quotannis inter pastorem, ut dicunt, loci, quo commoratus fuerat, ludi magistrum, et septem musicos diuidentur, ea tamen lege, ut hi vestitum caeruleum fimbriis argenteis ornatum, fieri sibi curarent, siveque die, quo mortuus esset, ad recolendam ipsius memoriam e alta turri tibiis canerent, inque templo neruis fidibusque sonos musicos ederent. ^{f)}

Quodsi iam ex me queras, quid legibus de huiusmodi ineptis fanticum sit, ptimum quidem inter heredem suum atque extraneum distinguere iubebo. Quod ad hunc attinet, iam supra MARCIANVS in l. 14. D. de cond. inf. nos docuit, derisorias conditiones pro non scriptis haberit, et perinde, ac si adiectione haud essent, hereditatem legatumue capi. Idem legimus in Synopsi Βασιλικῶν a IO. LEVNCLAVIO Basileae 1575. ed. Lib. XXXV. Tit. 12. Αἱ παρέδομαι καὶ καταγέλασοι αἰρέσεις περιουσιῶν τῶν ἐνσάσεων καὶ τῶν λεγάτων: καὶ χρόνος αἰρέσεως τῶντα παρέχονται. Conditiones, quae contra leges sunt, et derisoriae, tolluntur ex institutionibus et legatis: eaque circa conditionem praeflantur, eodemque pertinet, quod scribit PAVLVS Sent. Rec. III. 4. 2. Conditiones contra leges, et decreta Principum, vel bonos mores adscriptae nullius sunt momenti: veluti, si uxorem non duxeris, si filios non suscepseris, si homicidium feceris, si barbaro vel laruali habitu processeris, et his si-

f) Inter impossibiles ineptasque conditiones merito etiam referas hanc: si digito coelum tetigeris, cuius meminit POMPONIVS in l. 16. D. de iniust. rupt. irrit. fact. test.



milia. Exceptionem tamen haec regula patitur, si tam inepta sic testatoris voluntas, ut illum tempore facti testamenti haud sanae mentis fuisse probabile fiat. ^{g)} Tunc enim prius, num homo, qui talem conditionem posuit, compos mentis fuerit, inspicendum esse, auctor nobis est **MODESTINVS** in l. 27. pr. D. de cond. **inst.** Etsi enim quilibet testator sanae mentis fuisse praesumitur, adeoque insaniae probatio heredi incumbit legitimo, l. 5. C. de **Codic.** tamen, si ex ipsis testamenti verbis insaniae oritur suspicio, contraria ea argumentis ab herede elidenda est. l. 2. C. qui **test.** fac. **posf.** Igitur, inquit **MODESTINVS** in d. l. 27. si perspicuis rationibus haec suspicio amoueri potest, nullo modo legitimus heres de hereditate controuersiam facit scripto heredi. ^{h)}

Tantum autem abest, vt, quae de extraneo herede, qui alia ratione, quam ex testamento, ad defuncti hereditatem peruenire nequit, diximus, in filio etiam familias obtineant, vt potius is, adiecta conditione aut inepta et turpi aut impossibili, tamquam praeteritus testamentum plane evertat atque infirmet. Audi quae-
fo **PAPINIANVM** in l. 15. D. de cond. **inst.** Filius, qui fuit in potestate, sub conditione scriptus heres, quam **Senatus aut Princeps improbat**, testamentum infirmet patri, ac si conditio non esset in eius potestate. Nam quae fabla laedunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, et, vt generaliter dixerim, contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est, idemque ad ceteros etiam suos heredes transferendum esse iam monuit **ARN. VINNIUS** in Comment. ad I. Lib. II. Tit. 14. Cur autem, inquis, tam varie? Ideo scilicet, quia extraneus sub omni conditione, et potestatua, et casuali, et mixta, filius familias sub sola potestatua heres instituitur, l. vn. §. 7. C. de cad. toll. l. 4. D. de her. **inst.** et ille aliter, quam ope testamenti, hereditate potiri haud potest, filius autem familias etiam sine eo patri heres existit, neque, vt extraneus, re-
missio-

^{g)} Interdum tamen etiam verba inepta, quibus testator proxime ante actum testandi usus est, illum insaniae aut dementiae arguant, qualis speciem refert IO. **HENR. DE BERGER** in *Confil. Inv.* p. 314. recte monens, nec carmina sacra a testatore cantata animum eius integrum satis ostendere.

^{h)} Hinc recte, non quidem furiosum, bene tamen hominem stupidum et simplicem testari posse docuit **LEYSERVS** Sp. 352. Med. 1.

* * *

18

missione conditionis opus habet. Conf. FRANC. BALDVINVS de Conditionibus, Cap. VI. in *Iurispr. Rom. Att. Tom. I.* p. 344. Non tamen hoc impedit, quo minus filiusfamilias cum maledicto heres scribi possit, siquidem MARCIANVS in l. 48. §. 1. D. de her. inf. Illa, inquit, institutio valet, filius meus impūissimus, male de me meritus, heres esto; pure enim heres instituitur cum maledicto, et omnes huiusmodi institutiones receptae sunt. Ceterum plura de testatorum ineptiis dabunt IAC. RAEWARDVS Coniectan. L. I. c. 14. TVSSANVS DE LA RVE Amoen. Iur. Obs. Cap. VI. et VII. MARQV. FREHERVS Parerg. L. I. cap. 26. et CHR. HENR. TROTZIUS de memor. propag. Cap. IX. ⁱ⁾ Hoc vero silentio praeterereundum haud est, si quid ad vsum illicitum aut inceptum testamento relictum fuerit, illud haud cedere heredi, sed ad alium vsum eumque licitum conuertendum esse. l. 16. D. de usu et usuf. leg. ^{k)} TROTZIUS l. c. pag. 623. neque tamen hoc fieri debere, nisi principis auctoritate, vt patet ex l. 4. D. de adm. rer. ad iuu. Vid. LEYSER. Sp. 24. Med. 3. atque sic in exemplo nobilis illius, cuius supra mentionem fecimus, recte, detractis testamenti ineptis legatum vt valeat, concentusque musicus opportuniore tempore fiat, rescriptum fuisse accepimus. Cum autem nihilosecius, an legatum illud pro legato ad pias causas habendum, integrumque ab heredibus allodialibus praestandum sit, dubitaretur, perpensis utrimque rationibus in hunc modum respondimus:

Als uns ein Auszug eines letzten Willens nebst einer Geschichts-Erzählung auch zweien unterschiedenen Fragen zugeschickt, etc.

Und anfangs auf die erste Frage: Hat der von M. in seinem am 24. April 1743 errichteten letzten Willen unter andern 1000 Rthlr. als ein Vermächtniss dazu, daß von denen jährlichen Zinsen

B 3

der

- i) De conditionibus derisoris, ultimis voluntatibus adiectis, exposuit etiam PETR. MÜLLER. Ienae 1687.
k) Merito autem, cum quidam scripsisset in testamento, vt formosissimae due mulieres, quas in dominio habebat, nec non aliis, vt impueris coram populo digladiaturi committerentur, populus editis hisce gladiatoriis tantam iniuriam, tantamque inhumanitatem offenso animo tulit, ideoque hanc testantum voluntatem irritam esse voluit. Conf. P. AERODIVS Rer. Iudicat. L. V. T. 8. Cap. 2.

◆ ◆ ◆

der Pfarrer und Schulmeister des Orts jeder 4. Rthlr. erhalten, die übrigen 42 Rthlr. aber unter sieben Musicos ausgetheilt werden sollten, und zwar von derjenigen Verlassenschaft, so aus denen Erbstücken zu D. und O. gelöst werden würde, ausgelezt. Nachdem nun derselbe im Jahr 1748. verstorben, und seit der Zeit zwischen seinen Lehn- und Landerben wegen Abtheilung des Lehns vom Erbe Proces geführet worden, letzterer auch vor die Landerben dergestalt unglücklich ausgefallen, dass die meisten derer von dem Testirer als Erbe angegebenen Stücke zu D. und O. denen Landerben ab- und dagegen denen Lehnserben zugesprochen worden, so wird:

Ob die Landerben gedachtes Vermächtniss derer 1000 Rthlr. ganz oder nur zum Theil, und zwar nach dem Verhältniss derer ihnen verbleibenden Erbstücke, gegen diejenigen, welche der Testirer angegeben, oder auch wohl gar nichts davon, auszuzahlen verbunden?

rechtlicher Unterricht begehrte.

Ob nun wohl der Testirer seine Erbgüther vor sehr ansehnlich gehalten, solche auch in seinem letzten Willen dergestalt vorgebildet, und dass eben von derjenigen Verlassenschaft, welche aus denen Erbstücken zu D. und O. gelöst werden würde, das Vermächtnis derer 1000 Rthlr. genommen werden sollte, verordnet, gleichwohl die meisten derer in dem angezogenen letzten Willen angegebenen Erbstücke denen Landerben abgesprochen worden, dergestalt, dass wenn sie angeregtes legatumrichten sollten, sie von denen ihnen übrigbleibenden Erbstücken, so wie von der ganzen Verlassenschaft wenig, ja fast nichts behalten, und wegen der vielen Proces-Kosten wohl noch einbüßen würden, hiernächst nicht vor wahrrscheinlich geachtet werden dürfte, dass der Testirer, wenn er, dass die von ihm angegebenen Erbstücke vor Lehn erklärt, und den Landerben abgesprochen werden sollten, vorher gewusst hätte, dem ohngeachtet letztere mit einem so starken Vermächtnisse belästigt haben würde, zumahl, da selbige ihm mit naher Blutsfreundschaft verwandt, und befonders in dergleichen Fällen nicht zu vermuthen, dass der Testirer seine Erben allzusehr mit Vermächtnissen habe beschweren wollen, folglich, da der von M. das legatum derer 1000 Rthlr. ausdrücklich von der aus den Erbstücken zu D. und O. zu lösenden Verlassenschaft abentrichtet wissen wollen, dass die Landerben nunmehr äusserstens Falsch solches nur nach dem Verhältnisse derer ihnen übrigbleiben-

benden Erbflüchen gegen die von dem Testirer angegebenen, auszuzahlen verbunden, es das Ansehen gewinnen möchte;

Dennoch aber und dieweil die Landerben des von M. durch Antretung der Erbschaft sich ohnstreitig auch zu Auszahlung der Vermächtnisse verbindlich gemacht, und aus des Testirers letzten Willen nicht zu erschen, dass er zu dem angezeigten Behuf weniger, als 1000 Rthlr. ausgesetzt haben würde, wenn er geglaubt hätte, dass seine Landerben nach seinem Tode nicht alles, was er vor Erbe gehalten, überkommen würden, gleichwohl bekannten Rechten nach ein Vermächtnis durch eine falsche Veranlassung nicht anders aufgehoben wird, als wenn am Tage lieget, dass der Testirer solches nicht beschieden haben würde, falsch er gewuft hätte, das dasjenige, was ihn dazu bewogen, falsch sey,

L. 72. §. 6. D. de cond. et demonstr.

nicht zu gedachten, dass in gegenwärtigem Fall nicht einmahl ein sogenanntes legatum sub causa vorhanden, in mehrern Betracht der von M. in seinem Testamente davon, dass er zu dem angegebenen Behuf deshalb 1000 Rthlr. ausgesetzt, weil er seine Erbgüther vor so ansehnlich geachtet, nichts gedacht, solchergestalt aber der Umstand, dass seine Landerben nicht alles erhalten, was sie als Erbe in Anspruch genommen, die beschiedenen Vermächtnisse nicht vermindern kan;

So sind die Landerben des von M. mehrgedachtes legatum derer 1000 Rthlr. ganz zu bezahlen allerdings verbunden.

Zum andern und auf die andre Frage:

Sollen die Zinsen sothanen legati dergestalt ausgetheilt werden, dass der Pfarrer und Schulmeister des Orts jeder 4 Thlr. das übrige aber sieben Musici erhalten, und will man dahero auch darüber:

Ob die Landerben nicht wenigstens die quartam falcidiam davon abzuziehen befugt?

unsere rechtliche Meynung vernebmen.

Ob nun wohl von einigen Rechtslehrern, dass auch von Vermächtnissen zu milden Stiftungen der falcidische Viertheil abgezogen werden könnte, behauptet werden will,¹⁾ hiernächst diejenigen 42 Rthlr. welche

1) Hos inter familiam dicit ARR. WIELINGIUS Leg. Iur. Civ. Lib. II c. 31. Conf. etiam FRANC. CAR. CONRADI in Pegr. ad Cel.

◆ ◆ ◆

Sebe nach des von M. Verordnung jährlich unter sieben Musicos ausge-theilet werden sollen, vor ein Vermächtniss ad piam caussam um so viel weniger geachtet werden dürften, weil erstere sich davor eine blaue Kleidung mit Silber besetzt, in der Maasse, wie die Liberey, welche er vormals seinen Bedienten gegeben, gewesen, zu seinem beständigen Andenken machen lassen sollen, und, daß solcher gestalt wenig flens von diesen 42 Rthlr. die quartam falcidiam abzuziehen erlaubt sey, scheinen möchte;

Dennnoch aber und dieweil die Meynung derjenigen Rechtslehrer, welche die Absziehung des falcidischen Viertheils von Vermächtnissen zu milden Stiftungen nicht verstatthen, vorlängst durch den allgemeinen Gerichtsbrauch bestätiget worden, und vor der gegentheiligen in verschiedenen Betrachtungen den Vorzug verdienet,

VLR. HVBERVVS Prael. I. C. sec. Inst. L. II. T. 22. §. 8. et
PETR. GVDELINVS de iur. nouiss. L. II. cap. 11.

hiernächst die sieben Musici die ibnen beschiedenen 42 Rthlr. nicht umsonst erhalten, sondern davor alle hohe Feftage vom Thurme blasen, auch zu gewissen bestimmten Zeiten Kirchen-Music machen, und sich dieser Schuldigkeit außer Krankheits und Ehehaftem halber nicht entziehen sollen, sowohl die Absicht des Testirers dabey hauptsächlich dahin gegangen, daß die Kirchen-Music zu D. zur E're Gottes und Zierde der Kirche, ingleichen zur Ergötzung des collatoris und der Kirchfahrt beständig fortduern, auch Fremde dadurch, nach D. zu kommen, und daselbst etwas in den Klingel-Beutel zu geben, gereizet werden möchten;


So sind die Landerben des von M. von denen in dessen letzten Willen zu obgedachten Bebuf ausgesetzten 1000 Rthlr. den falcidischen Viertheil abzuziehen nicht befugt.

EISENHARTI Diff. de modo seruando in legator. pior. interpretat.
Helmst. 1746. qui tamen ipse monet, in foro glossae auctoritate jet
piarum causarum finore contrariam sententiam praevalere.

V
D
18

ULB Halle
002 689 030






P. 4. 55. num. 38.

1774. 31.

B.I.G.



Farbkarte #13

DISSERTATIO
DE
**INEPTIS MORIENTIVM
VOLVNTATIBVS**
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
PRAE S I D E
**IOSIA LVDOVICO ERNESTO
P V T T M A N N O**
I. V. D. TIT. DE V. S. ET R. I. ANTECESSOR. ORDINAR
NEC NON COLLEG. ICTOR. ASSESSORE
A. D. IV. OCTOBRIS MDGCLXAV
H. L. Q. C
AD DISCEPTANDVM PROPOSITA
SIGISMVNDO POLYCARPO GVTBIR
PORTA - THVRINGO.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

